

(unknown project)

Brevis doctrina dictaminis

Incipit Brevis doctrina dictaminis a magistro Ventura de Pergamo tradita. Quoniam introducenti brevia propter memorie debilitatem, facillima propter ingenii rudium parvam capacitatem, utilia propter ad altiorem ascendendum citius facultatem competere non ignoro, idcirco que michi necessaria visa sunt arti epistolaris dictaminis in hoc redegi uerbis compendiosis opusculum, quod in duas diuiditur particulas principales. In quarum prima determinatur de hijs que ad integritatem ipsius epistolaris dictaminis exiguntur. In secunda terminatur (tam) de uitijs ab omni specie dictaminis euitandis quam de uirtutibus inserendis.

Incipiunt rubrice prime parti.

Quot modis facultas habetur dictaminis et discitur. Quid dictamen et quot modis fiat. Quid epistola. Quot sint partes epistole. Quid salutio. Notabilia circa salutationem. Quid exordium. Notabilia circa exordium. Quid narratio. Notabilia circa narrationem. Quid petitio. Notabilia circa petitionem. Quid conclusio. Notabilia circa conclusionem.

Quomodo partes epistole habeantur, et quot modi discantur.

Facultas dictaminis habetur a tribus : ingenio, usu et eruditione. Primum parit natura, secundum prestat industria, tertium dat doctrina. Discitur autem tribus modis: arte, exercitatione et imitatione. Unde quidam:

Rem tria perficiunt: ars cuius lege regaris,

Vsus quem serues, meliores quos imiteris.

Ars certos, usus promptos, imitatio reddit

Artifices aptos, tria concurrentia summos.[Page 370]

Quid sit dictamen et quot modis fiat.

Dictamen est ad unumquodque negotium sermonibus explicandum dictionum ordinatio congrua propria et decora, et fit quadrupliciter: prosaice, metrica, rithymica et permixta, uulgariter et latine.

Quid sit epistola.

Epistola est oratio secundum elegantiam compositionis et dignitatem facta, que ex suis partibus conuenienter disposita mittentis affectum plene continet et explanat; uel epistola est litteralis legatio absenti persone mittentis plene significans uoluntatem.

Quot sunt maneries partium epistole.

Tres sunt maneries partium epistole. Quedam enim sunt subiecte, ut epistola ad persuasionem, ad dissuasionem, ad admonitionem missa uel propter prouisionem uel propter reconciliationem uel propter alicuius relatu deuotionem, epistola ad supplicationem, ad comminationem, et ad cuiuslibet mittentis intentionis expressionem. Quedam sunt integrales non solum epistole sed cuiuslibet dictaminis, que sunt principium, medium et finis, que sic debent sumi.

Vt primum medio, medium conueniat ymo.

Quedam sunt exigitice, que solent distingui quinque, scilicet: salutio, exordium siue prouerbum, narratio, petitio et conclusio.

Quid sit salutio.

Salutio est brevis oratio salutis affectum continens et a situ personarum non discrepans; uel salutio column epistole debita ordinatione tam nomina quam merita personarum cum mittentis affectione declarans.

Notabilia circa salutationem.

In salutatione perfecta quatuor debent esse, scilicet: nomina personarum, ordo ipsarum, attributa siue merita personarum, et affectio mittentis persone. In salutatione tres distinguuntur tam in clero quam extra clerum maneries personarum. Quedam enim sunt sublimes, quedam mediocres, quedam infime. Item in quolibet ordine hec triplex series personarum reperitur.

In salutatione nomen recipientis debet preponi siue minor scribat maiori siue par pari. Nomen uero maioris si scribit suis subditis preponendum[Page 372]

poni uerbum, quoniam in ea agitur de persona et uerbum pertinet ad negotium, uel hoc fit ad maiorem affectum denotandum, sicut in nominibus notantibus preheminentiam exigentibus genitiuum gradus. superlatiui quibus ad(d)itur superlatiuum, ut *deus deorum* et *uirgo uirginum*. In salutatione debent poni talia adiectiua que ad laudem congruam pertineant recipientis, et talia que insinuent argumentum mittentis.

In salutatione nemo debet se *dominum* uel *dominam* appellare, quantumcumque sit potens uel nobilis uel quantacumque dignitate fungatur. In salutatione nemo debet se *militem* uel *magistrum* simpliciter appellare, sed debet dicere *dictus miles* uel *nuper cinctus cingulo militari*, *dictus magister* uel *qualisqualis artis gramatice professor*, *iuris canonici sedulus ministrator* uel *theologie humilis propinator*. Si uero non fuerit cathedratus, debet dicere *magister dicto officio uocitatus*. Doctores uero legum *doctores* et *dominos* se appellant.

In salutatione prosaica non debet poni dictio prime uel secunde persone nec pertinens ad primam uel ad secundam personam. Hec est uitiosa

locutio: *A. noster amicus* uel *B. nostro capellano*. In metrica uero salutatione pronomen prime uel secunde persone et etiam uerbum potest poni, ut: Hanc tibi Priamides mit(t)o Ledea salutem.

In salutatione non debet poni *nec* cum soli optatiuo sit iungendum.

Unde hec est uitiosa locutio: *P. nec uocando filio*.

In salutatione non debet poni quod ad nar(r)ationem uel ad petitionem pertineat, unde hec est uitiosa locutio: *P. scribens bonum unum codicem* uel *egens denariis*; sed posset dici *studens bonum* quia studium pertinet ad personam.

In salutatione non debet proprie fieri geminatio relatiuorum, unde hec est uitiosa locutio: *P. suo domino B. suus* uel *eius subdi[c]tus*. Quandoque tamen minus proprie, causa melius exprimendi intime dil[ec]tionis affectum, sic scribitur: *Suo sibi amico D. suus V. quidquid sibi*. In salutatione enim multe fiunt improprietates, ut etiam prius in hijs superlatiuis *reuerendissimo* quod est contra regulam gramatice, nam participalia in *us* desinentia non comparantur: et *reuerendissimo* quod non est ad maiorem sed ad subditum scilicet *ualde reuerentem* spectat.

In salutatione non debet geminari iste datiuus *domino* secundum quosdam.

Sed forte posset geminari, nec tamen est nugatio; nam primus datiuus notat preheminentiam et est aliquid, secundus ad dignitatem et est absolutum.

In salutatione non debet esse nimius ornatus quandoque adulatione suspecta esset et derisioni fieri uideretur. Preterea debet esse breuis cum ad salutis optationem sit principaliter instituta, unde aliarum partium epistole non debet officium usurpare. Et hoc patet ex antiquorum consuetudine, qui simpliciter nomina tam mittentis persone quam recipientis scribebant, ut *Cato Bruto salutem*.

In salutatione omnis persona tam in clero quam extra clerum in dignitatibus constituta debet de omnibus suis dignitatibus et illius cui scribit[Page 373]

facere mentionem, exceptis capitaneis et uauasoribus in quorum est arbitrio relinquendum. Item dignitatibus perpetuis et potissime in clero adiungitur patrium nomen in eodem casu, ut *archiepiscopo Rauenensi episcopus Fauentinus*. In secularibus uero et maxime que durant ad tempus ponimus genitium loci siue op(p)idi uel patrie uel populi, ut *potestas Pergami* uel *Pergamensium*.

In salutatione cum scribitur sublimibus personis in clero dicendum est Dei gratia, sed extra clerum non nisi coronatis uel magnis ducibus et comitibus habentibus maximum comitatum. Preterea si sublimes persone in clero scribunt suis subditis dicunt *Dei gratia*, si scribunt maioribus uel suis paribus dicunt *diuina permissione* uel *miseratione* uel *clementia*. Subditi in clero si scribunt etiam mediocribus personis possunt dicere *Dei gratia*, ut cum scribunt magnis prioribus et abatibus. Seculares uero persone sublimes si scribunt paribus uel subditis dicunt *Dei gratia*. Si uero scribunt suis maioribus tacent. Numquam uero dicunt *diuina miseratione*, *permissione* uel *clementia*, nec eis dicitur. In salutatione non est dicendum *uenerabili in Christo patri* nisi illis qui episcopalem uel supra suscipiunt un(c)tionem. Alijs enim prelatis dicendum est *uenerabili patri et domino*. In salutatione de multis recipientibus potest dici *Dei gratia* quod ipsis scribentibus non liceret, ut abas Sancti Ypoliti non diceret *Dei gratia*, sed abas licet *non meritis* uel *indignus*; ad eius tamen subdito posset dici dic: *Venerabili patri et domino B. Dei gratia Sancti Ypoliti abati condigno*. Est enim in salutatione persona recipiens diligentissime attendenda.

In salutatione participium significans actionem non debet at(t)ribui recipienti. Simil(l)iter participium significans passionem non debet at(t)ribui mittenti. Unde hec est uitios[s]a locutio: *Dil[ig]enti* uel *amanti amico R. salutem G. dil[ig]ectus* uel *amatus*. Scit enim homo quantum alios dil[ig]igit, sed nero nescit quantum ab alijs dil[ig]igatur. Sed e contra fieri potest ut: *B. dil[ig]ens mater D. filio peramato*.

In salutatione que mit(t)itur recipienti quandoque mit(t)entem solum recipit quia per hoc seipsum humiliare intendit, ut cum *subiectionem*, *deuotionem*, *reuerentiam*, *obedientiam*, *famulatum* in omni genere *mandatorum*

uel aliud consimil[is]ime mit(t)it. Quandoque solum ad recipientem spectat, ut cum mittit *salutem cum gloria et honore* uel *salutem et prosperis successibus habundare*. Quando(que) id quod mittitur utrique persone al(l)udit, ut *cum filiali subiectione salutem*; simil[is]iter: *salutem cum promptitudine famulandi* uel *seruiendi*. In salutatione debet poni talis affectio que compe[c]tat mittenti uel recipienti uel utrique, uel adaptari possit hijs que in sequentibus partibus determinantur, ut si est de morte dicatur *salutem (et) in domino consolamen*, si de letitia *salutem et prospera prosperis cumulare*, si de promissione *salutem et in dicendis et faciendis dil[ig]entiam adhibere*. Unde si scriberetur rustico hec esset uitios[s]a locutio: *cum augmento glorie et honoris*.

In salutatione quandoque non ponimus *salutem*, et hoc contingit dupliciter.[Page 374]

Primo causa indignationis uel suas[s]ionis, ut cum scribimus inimicis, excommunicatis, hereticis uel paganis; et tunc uel ponuntur nomina simpliciter

sine adiectiuo et talis descriptio pro quodam titulo reputatur, uel scribuntur nomina cum adiectiuo quod loco salutis additur; locum indignationis uel suasionis optinet potius quam (a) salutis, unde talis affectio abusiue salutatio nuncupatur. Secundo causa humilitatis, ut cum maioribus scribimus non ponimus *salutem* sed humiliantes capita nostra eis *reuerentiam, obedientiam, deuotionem, subiectionem, famulatum et nostri commendationem* offerimus, et fide mentis desiderium explicamus. Salutatione namque sicut et benedictione de auctoritate maiorum est et non de minorum, unde talis affectio iterum salutatio dicitur abusiue. Secundum ueritatem cuiuslibet possumus dicere *salutem* nisi inimicis, excommunicandis et hereticis. In salutatione quandoque infinitiuis gerens officium nominis copulatur huic adiectiuo *salutem*, ut *salutem et prosperis successibus habundare*. Sed potest esse et huius esse copulatio orationum perfectarum et non terminorum.

Quatuor sunt maneries salutationum. Quedam est absoluta siue in qua nomen utriusque persone sine determinatione accidentali intransitiua ponitur, ut *Petro Ventura salutem*. Additur plerumque in hac salutatione et etiam in alijs determinatio transitiua ad ambiguitatis remotionem facta per ablatiuum loci uel genologie uel utriusque cum prepositione *de*, ut *P. de Fauentia, P. de Manfredis, Ventura de Fornatis de Pergamo*; et nichil (o)minus hec nuda dicuntur. Quedam prescripta in qua adiectiua pertinentia ad laudem persone recipientis ipsius nomini (pre)ponuntur, ut *Preclaro militi et famoso et domino B.* Quedam subscripta in qua nomini recipientis persone adiectiua ad ipsius laudem pertinentia subiunguntur, ut *A. facundo iudici et perito*. Quedam circumscripta in qua circumscribuntur adiectiua recipientis persone ad laudem pertinentia, ut *Eg[*g*]regio et potenti uiro domino P. militari gloria prepol(l)enti*.

In salutatione absoluta nomina personarum debent scribi integre, ut *Petro magister salutem*. In alijs etiam salutationibus possunt scribi integra capitali prima semper lit(t)era uel saltem nomen mit(t)entis. Prima uero lit(t)era capitalis persone recipientis potest scribi quia in exteriori parte carte ponitur integrum nomen in datiuo casu cum hoc participiali nomine *dandum* quod sic scribitur et geminatur ut ostendatur frequentationis repetitio, uel cum hoc uerbo *presentare*, scilicet cum scribitur sublimibus personis.

Possunt etiam scribi solum prime lit(t)ere capitales utriusque lit(t)ere uel nominis cum scribens et recipiens sibi inuicem sunt noti.

De notulis traditis a modernis de salutatione dantur hi uersus:

Isti uersus quos tradunt moderni sunt.

Gratia, post, titulus, ordo, denotatio cleri,

Seruitium (quo)que conditio, stirps ac amor unde.

Laus, locus, officium sit cleris qui mereantur;

Laus, locus, officium sit laycis qui timeantur.[Page 375]

In salutationibus sciende et inueniende sunt consuetudines curiarum. Nemo enim in talibus sufficiens inuenitur quoniam uarie sunt dominorum et principum uoluntates.

Quid sit exordium.

Exordium est nar(r)ationis preambulus affectus ad exaudiendum preparans animum recipientis, et habet duas partes: principium et insinuationem.

Exordium, prout competit epistole, est sermo uerbis et sententijs prepolitus ex quo nar(r)atio nel petitio progreditur, unde in nar(r)atione nel petitione nel conclusione non licet exordium ut uolunt quidam. Sed quod ibi additur alicuius dicti confirmatio sine cause red(d)itio potest dici.

Notabilia circa exordium.

Per exordium stricte sumptum efficitur auditor attentus, docilis et beniuolus; sed quicumque attentus red(d)itur, docilis efficitur, beniuolus redditur quatuor modis: ab nostra, ab a(d)uersariorum nostrorum, ab auditorum persona; ab ipsis rebus. In exordio tria sunt notanda. Primum ut sermo sit lenis, id est uerborum asperitate carens omnique inuolutione sententiarum et collisionibus lit(t)erarum. Secundum quod constet ex uerbis usitatis, quia uerba inusitata et minus bene intelligibilia non afficiunt animum auditoris. Tertium ne oratio sit nimium aperta, sermo enim nimio (*sic*).

Exordium debet esse breue ne impediatur intelligentiam partium subsequentium; debet esse dilucidum et apertum ne le(c)toris animus in principio confundatur; debet esse tale quod continuari possit, et debite conuenire nar(r)ationi et petitioni, ita quod ex ipso alterutra confirmari uel elici uideatur. Quatuor de causis tacetur exordium. Prima est humilitas persone recipientis. Secunda est simplicitas materie scribende. Tertia est nar(r)ationis nel petitionis euidentissima honestas. Quarta est importunitas scribendi nel ratione festinantie nuntij nel alterius impedimenti. A prouerbij non est inchoandum, cum inducant obscuritatem; nec ab auctoribus in forma au(c)toritatum, quia hoc competit sermonibus non epistole. Preterea auctoritates in forma auctoritatum non sunt epistolis inserende, unde non est dandum *Ut ait Propheta, Ut ait Oratius*; sed hec si essent de substantia epistole congrue possunt poni. Octo sunt principalia exordia

sicut continet iste uersus:

Quantum, quale, licet, ut, si, quia, quando, solum.

Quid sit nar(r)atio.

Naratio est congrua uerborum species qua quisque suam alijs exprimit uoluntatem.[Page 376]

Notabilia circa nar(r)ationem.

Nar(r)atio debet esse breuis, dil[l]ucida et probabilis. Breuis est que non plura quam requirit necessitas comprehendit. Dil[l]ucida est si res nar(r)andas explicat ordinate, mit(t)entis tangens com(m)oda, nocitura et superflua omit(t)endo. Probabilis est si ab auctoritate non discedit, et que videntur posse uel potuisse fieri perstringit, et debitas circumstantias non omit(t)it. Redditio quoque cause in qualibet parte epistole preter salutationem infra in naratione locum habeat.

Nar(r)ationum alia simplex, in qua unum solum nar(r)atur, alia composita in qua de pluralibus agitur negotijs. Signa dictionis uel ad(d)itionis sunt hec: *preterea, insuper, ad hec, item, iterum, quoque, necnon, super eo, uero*. Fit autem nar(r)atio de rebus presentibus, preteritis et futuris; et maxime per uerbum indicatiui modi. Hijs signis coniungatur nar(r)atio exordio: *hinc est, inde est, perinde est, ex hoc est, ex hijs, ex quo est, unde, cur, quare, quamobrem, quasobres, quapropter, eapropter, qua de re, qua de causa, cuius rei causa, quo contra, idcirco, id(eo), preterea, super, ergo, igitur et itaque*. Ei(s)dem signis petitio potest iungi exordio uel nar(r)ationi.

Quid sit pe[c]titio.

Petitio est oratio rei quam petimus expressiua, uel petitio est oratio per quam aliquid fieri uel non fieri postulamus.

Notabilia circa pe[c]titionem.

Petitio non dicitur quod per causam aliquid semper petatur, sed a frequenti usu nomen as(s)umpsit, sicut et salutatio. Nam quandoque petimus

et precamur, quandoque iniungimus, precipimus et mandamus, quandoque com(m)inamur, ortamur, consulimus, intimamus, quandoque pro mit(t)imus, uel etiam imprecamur, quorum omnium finis uidetur tendere ad petendum. Petitionum alia simplex in qua unum petitur, alia composita in qua plura petuntur; et in hac necessaria sunt signa dictionis uel ad(d)itionis, ut *preterea, insuper, ad hec* et similia.

De conclusione.

Conclusio est pars finalis epistole per quam ostenditur quid com(m)odi uel incom(m)odi ex premissis sequatur si petitio fuerit adimplecta, uel quid incom(m)odi si negle(c)ta. Bonus tamen dictator petendo concludere nouit, unde, nisi in magna epistola, conclusio non est nimium oportu(n)a.

Notabilia circa conclusionem.

Conclusionum quedam est affirmatiua, quedam negatiua, quedam conditionalis. Debet autem conclusio dependere ex petitione et quantum[Page 377]

ad sententiam et quantum ad constructionis coniunctionem, unde aliqua pars debet interuenire media, que tanquam uinculo coniungatur. Signa siue uincula conclusionis quibus debet petitioni coniungi sunt hec: *quasi, hec autem, sin autem, si uero, alioquin, alias, ut de(e)st, demum*. Potest etiam post petitionem sequi participium cum aduerbio qualitatis uel cum determinatione aduerbiali, ut *firmiter attendentes, procul dubio an(n)uentes, omni suc(c)iso dubio, cognoscentes indubitanter* uel *indubitanter noscentes*. Preterea potest interponi aliqua particula circa finem petitionis ab qua continetur conclusio mediante coniunctione quadam, ut *adeo, tantum, interim, ita sicut*.

Quomodo partes epistole ipsam construant.

Partes epistole quandoque sub diuersis clausulis efficiunt ipsam, quandoque sub una clausula coniunguntur, ut puta exordium et nar(r)atio: si precedat coniunctio causalis *quia* uel *quoniam* uel coniunctio adiunctiua cum eisdem coniunctionibus possunt exordium et petitio in eadem clausula poni. Simil[l]iter nar(r)atio et petitio in una clausula quandoque ponuntur si in principio narationis ponatur hec coniunctio *cum*. Petitio etiam et conclusio quandoque in eadem clausula contine(n)tur, ut si circa finem petitionis ponatur aliqua istarum dictionum *taliter, adeo, interim, ita, sic*, ab qua conclusio continetur mediante hac coniunctione quod.

Quomodo partes epistole ab ipsa possint subtrahi.

Ab epistola quandoque subtrahitur salutatio causa indignationis et etiam causa loci proximitatis et etiam sufficiunt solum nomina personarum, quandoque subtrahitur exordium quia rei dignitas per se patet et etiam alijs de causis ut dictum est supra, quandoque nar(r)atio ut in lit(t)eris preteritis, quandoque petitio ut frequenter contingit in lit(t)eris remissiuis, quandoque conclusio quia rei com(m)oditas uel incom(m)oditas per se patet uel quia epistola est nimis longa, unde dicitur:

Hic satis est pars una, due, tres, quatuor, omnes.

Explicit prima particula huius tractatus.

Incipit secunda in qua primo de uitijs secundo de uirtutibus termi(n)atur.

Ista sunt uitia que Oratius ponit.

De sex uitijs que ponit Oratius in primo ' Poetrie '. De septem uitijs

que ponit Oratius iuxta finem ' Poetrie '. De uitijs compositionis que potissime inpediunt e(u)phoniam. De decem uitijs an(n)exis barbaris[s]mo et solecismis[s]mo.[Page 378]

De sex uitijs que Oratius ponit in principio ' Poetrie '.

Sex uitia a quolibet dictamine releganda que in grauitate pec(c)ant summe tangit Oratius in principio ' Poetrie '. Primum est incongrua partium dispositio que est cum primum medio, medium conuenit imo; sed congrua est cum primo medium medio quoque conuenit imum. Sunt enim partes cuiuslibet dictaminis integrales tres: Principium, medium, finis. Secundum incongrua materici digressio que est cum dictator dimisso cursu sue orationis digreditur ad aliqua impertinentia siue uagatur ad ea que non faciunt ad materiam principalem; sed congrua est cum digreditur ad aliqua pertinentia materie sue uel causa elongationis uel delegationis uel explanationis. Tertium obscura breuitas ut cum recipiens ex uerbis missis non potest recipere intentionem mittentis; breuitas, uero, lucida et aperta utilis est et delectabilis auribus modernorum. Unde dicitur: ' Gaudent breuitate moderni '. Quartum est incongrua stili siue figure, id est modi loquendi, imitatio, ad quod notandum est quod tres sunt stili secundum triplicem uarietatem personarum, scilicet infimus siue humilis, mediocris et sublimis. Sed quilibet habet uitia sibi collateralia. Humili namque collateralantur aridum et exangue, mediocri fluctuans et dissolutum, sublimi turgidum et inflatum. Exaescit enim operatio propter exilitatem sententie uel pre nimia humilitate sermonis. Fluctuat et dis(s)oluitur quando sententie non coherent et eneruis tota constructionum iunctura uidetur. Turgescit uel inflatur operatio quando grauioribus uerbis quam res postulat aliquid indicamus. Congrua uero stili mutatio secundum mutationem conditionis personarum, ut cum regia persona introducitur ad loquendum altis uerbis utatur; si uero minus bene cesserit ei uerbis mediocribus uel humilibus debet uti, ut patet de Thelepho et Polleo. Quoniam ergo com(m)utatio tollit satietatem, infimus in mediocrem, mediocris paulatim transeat in sublimem. Sed cauendum est ne talis com(mu)tatio fiat nimium repentina. Quintum est incongrua materie uariatio cum scilicet incongruentia describuntur, et hec proprie translatio dicitur abusua; et hec fit quandoque in una dictione ut si trans iter transferas leonem, quandoque in pluribus ut si describerem pisces in siluis per arbores uolitare, et apros per maria uolitare uel discurre. Sed congrua est cum per metaphoras et alios tropos (non) indebite uariatur, oportet enim bene transferentes similitudine uti. Sextum incongruus finis siue incongrua operis imperfectio, ut cum dictator incipit aliquam tractare materiam et ipsam nescit fine congruo terminare, sicut multi qui bene nar(r)ant, sed ponere conclusionem ignorant.

De hijs sex dicitur:

Qui male disponit male digreditur, breuis extat

Atque stilum mutat, uariat nec terminat apte,

Nec (narrat) recte, nec pulcre dictat aperte.[Page 379]

Septem de uitijs que ponit Oratius in fine ' Poetrie '.

Septem ponit Oratius uitia iuxta finem ' Poetrie ' contra latinitatem, contra positionem, et elegantiam peccantia. Primum est in[h]erba, que nichil aliud est quam barbaris[s]mus et soloecismus, de quibus dicitur sicut uidetur:

Bar. facit risium si pars cor(r)umpitur una.

Dat soloecismum male si co(n)iunxero plura.

Secundum duritia, que fit per ineptam et indebitam transumptionem.

Tertium est inornatus; est enim ornatus tam in uerbis quam in sententijs

attendendus. Quartum ambitiositas siue superfluous ornatus; sub hoc omnis

superfluitas continetur. Quintum obscuritas siue sit per def[ec]tionem

necessariorum siue per inusitatem uocabulorum. Sextum ambiguitas, siue

proueniat ex uariatione significationis uel consignificationis siue ex diuersitate

constructionis. Septimum inepta dictionum compositio siue inordinatio

que impedit sententie perfectionem, unde dicitur:

Versus iners, durus, incomptus et ambitiosus

Obscurus, dubius, preposterus est uitiosus.

De uitijs que inpediunt euphoniam.

Tvllius sex uitia as(s)ignat compositionis. Primum uocabul(or)um

crebra concursio, ut *Bache enee amenissime impendebant*; supra: *Mala*

aula amat crimen. Secundum nimia eiusdem lit(t)ere as(s)iduitas, ut *Solias*

in solario solas sarciebat suas; supra:

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyrampne, tulisti.

Tertius eiusdem uerbi nimia frequentatio, ut

Cuius rationis ratio non extat ei

rationi non est ratio fidem habere.

Quartum similiter cadentium uerborum ultra quam deceat consimil[is]

terminatio, ut

Flentes, plorantes, lacrimantes, ob(te)stantes;
et illud Augustini: *Siquid inuenisti non redidisti, rapuisti quantum potuisti, fecisti quia plus non inuenisti*. Ad hoc omnis species rith[i]mica reduci potest, unde rogo tuam discretionem, quatinus michi facias rationem. Quintum uerborum traectio inconcin(n)a, ut *Nullus mulier est uir; Super gramaticam uado propter terram audiendam*. Sextum yperbaton, id est longa uerborum continuatio que auditoris aures offendit et spiritum prolatoris, et hec sepe in auctoribus inuenitur.[Page 380]

Ista sunt que addunt moderni.

Moderni quoque ista addunt uitia, quorum primum est si dictio desinat in ?m et sequens incipiat a uocali quia posset metacis[s]mus incidere, ut *Albertam amasiam amabam Ambrosii*. Secundum si sequens dictio incipit ab eadem sillaba in qua precedens desinit, ut *Pater terminat, Dominus usquam*. Tertium scridens et rixosa coniunctio lit(t) erarum quam precipue faciunt R, S, X, ut *Er(r)ar rusticus, Ars studiorum, Rex Xenophon*. Quartum species metrica sicut rith[y]mica, et maxime in fine clausularum et etiam distinctionum, presertim ars ad cauendum ne clausula terminetur, ut *Affectuos[s]e te rogo quod mihi subuenias*. Preterea uitanda sunt cachosi(n)teton, id est male compositiones in quibus sunt metacis[s]mi, iothacismi, hyatus, col(l)isiones et omnia que plus equo minusue sonantia ab eruditis respuuntur. Predicta tamen uitia si com(m)ode uitari possunt debent uitari, non tamen ob hoc constructionis sententiae partium dispositionis et proprietatem debite at(t)ributionis est uitium incurrendum.

De uitijs an(n)exis barbari(s)mo et solecis[s]mo.

Non solum barbarismus et soloecismus debent a quolibet dictamine relegari, uerum etiam decem uitia hijs an(n)exa, quorum primum est achirologia, id est (im)propria dictio, ut *Spero dolorem*. Secundum cace(m)phaton, obs(c)enitas in sermone que fit tripliciter. Primo per turpitudinem, ut *Aurige aures Pamphile*; secundo per asperitatem lit(t)erarum sillabarum(ve), ut *Ars studiorum rumpitur*; tertio per inconcinnitatem, ut *tonsrīs*. Tertium phe(o)nosmos, id est superuacua uerbi adiectio, ut *Ore loquor*. Quartum perys(s)ologia, id est superuacua uerborum adiectio sine ulla uice tamen, ut *Ibant qua poterant et qua non poterant non ibant*. Quintum macrologia, id est prolixitas orationis res non necessarias comprehendens, ut *retro unde uenerant domum reuersi sunt*. Sextum tautologia, id est eiusdem dictionis repetitio, ut *Egomet ipse et fatur et inq(ui)t*. Septimum eclipsis, id est def(f)ectus necessarie dictionis quam desiderat precis(s)a sententia, ut *Hec secum*. Octauum tapinosus, id est humilitas magne rei non agente sententia quod deuenerit, ut si mare dicatur *gurgēs*. Nonum cachosi(n)tethon, id est inconcinna traectio dictionum, ut *Nullus mulier est uir*. Decimum amphybologia, id est ambiguitas que sensum locutionis impedit et obscurat; et hoc dupliciter, uel in una dictione ut in equiuocis ut *crimīnor* et *amplector*, uel in contextu partium orationis, id est in constructione ut *Uidi statuam auream astam manu tenentem*; et Aio te Eacida Romanos uincere posse. Hec de uitijs. De emendatione siue cor(r)ectione dictaminis dantur hij uersus.[Page 381]

Hij uersus de emendatione dictaminis traduntur.

Quod minus est sup(p)le, quod plus abrade, quod irtum
Come, quod obscurum declara, quod uitiosum Emenda.
Curis sunt istis omnia sana.

Incipit capitulum de uirtutibus inferendis.

Quid distinctio. De tribus speciebus distinctionum. Quid subdistinctio.

Quid clausula. Quid mediocritas obseruanda sit in clausulis. Quid punctum.

Quot modis fiat. De triplici puncto. Quid cursus. De regulis cursuum. Quot

modis fiat cursus trium sillabarum. Quot modis fiat cursus quatuor sillabarum.

Quomodo est utendum cursu. Quomodo fit deceptio in cursu. De quibusdam

dictionibus. Quomodo debent in epistola poni. De formatione

quarundam literarum in epistola secundum morem Romane curie.

Quid distinctio.

Distinctio est unius clausule integrum membrum orationis contextu digna uarietate contexens, et sententias a nexu dubitationis espediens. Hec Latine dicitur positura. Si hac compositionis ordo conuenienter disponitur, lectionis sensus aptius aperitur.

De distinctionibus et tribus speciebus subdistinct(i)onum.

Tres sunt distinctionis species, scilicet dependens, constans siue media, et firmata. Dependens est illa que suppositum et appositum in se habet.

In ea tamen nec sententia nec construc(t)io est firmata. Hec dicitur com(m)a. Constans siue media est que tam constructione quam sententia est perfecta, sed adhuc aliquid aliud intendit animus scribentis, et hec dicitur colon. Firmata est in qua totalis clausula terminatur, et dicitur peryodus.

Quid sit subdistinctio.

Svbdistinctio non est membrum orationis integrum sed pars distinctionis

aliquam determinationem distinguens uel ambiguum intellectum.

Quid sit clausula.

Clausula est plurium distinctionum continuatio ambitum perfecte sententiae compre(h)endens. Nichil autem refert an tantum ex com(m)atibus, an tantum ex colis, an eis inuicem permistis clausula contexatur.

An si ex uno tantum membro constiterit monoclon uocabitur, ad modum tamen periodi est punctanda; et sicut uocalis per se abusive sillaba dicitur, sic talis oratio abusive clausula nuncupatur.[Page 382]

Que mediocritas observanda sit in clausulis.

Sicut in alijs rebus, sic in clausulis est mediocritas obseruanda. Nam clausule nimis curte licet aliquando expediant, raro tamen competunt dictatori, quia penuriam quandam in sententia indicant et sermone. Sed nimis longe prolixitate sua spiritum lectoris fatigant, et tedio quodam animos afficiunt auditorum. Mediocritas utraque obseruetur ut ex duobus uel tribus membris uel quatuor uel quinque ad plus sicut in rithymico sic dictamine clausula contexatur.

Quid sit punctum et quot modis fiat.

Punctum est signum ab intellectu segregans intellectum, et spiritum recreans prolatoris. Fit autem in scriptura et in uoce ubi est coniunctionis deff[ectus], ut *Te dil[ig]o, te honoro*. Sed ubi est coniunctio, non est necessarium punctum scripturale, sed a quibusdam (D) licet utile sit uocale, ut *Te dil[ig]o (et) te honoro*. Sed in fine clausule et etiam distinctionis debet poni punctum scripturale, licet sequens clausula uel distinctio incipiat a coniunctione. Fit in scripto sed non in uoce, quando una littera punctatur unius nominis uicem gerens, fit in uoce sed non in scripto ubicumque subdistinctio locum habet.

De triplici puncto.

Triplex est punctum, scilicet suspensium, planum et flexile. Suspensium duplex, vnum quod fit sine magna uocis eleuatione ad ostendendum sententiae imperfectionem, et illud scribitur dupliciter uel cum uirgula tantum sursum ducta, ut in com(m)atibus fere omnibus et in colis quibusdam, sic (:). Alterum quod fit cum magna uocis eleuatione quod dicitur interrogatiuum, et istud representatur puncto cum uirgula recurua sursum ducta, sic (:).

De duplici puncto plano.

Similiter planum duplex, vnum non firmatiuum quod fit sine aliqua uirgula in fine distinctionum et etiam quarundam clausularum, alterum quod fit uno puncto uirgula deorsum ducta in fine clausularum et maxime in fine epistolae sic., Flexile sic fit.. Sed hoc non utimur in epistolis.

Ec(c)lesiastici uero in quibusdam suis epistolis hoc utuntur.

Quid sit cursus.

Cursus est quedam ornata dictionum positio quae ex debitis constans accentibus et quantitate sillabarum et prolatione uerborum leporem et suauitatem inducit; et dicitur a *cur(r)endo* quia ibi est quedam flexilis et uelox prolatio dictionum.[Page 383]

De regulis cursus.

In fine longe subdistinctio, distinctionis et clausule debet cursus obseruari, et est omnis cursus in epistolari dictamine uel trium uel quatuor sillabarum. In cursu trium sillabarum si penultima finalis dictionis acuitur penultima precedentis debet simil[iter] acui, ut *Honestum uenerari magistrum*.

Si penultima finalis grauatur penultima precedentis debet simil[iter] grauari, ut *Uir iustus dil[ig]it Dominum*; sed hoc cursu raro est utendum.

In cursu quatuor sillabarum si penultima finalis grauatur penultima precedentis debet acui, ut *Teneor magistrum dil[ig]ere, qui mihi pocula propinat scientie*. Si penultima finalis acuitur penultima precedentis debet grauari, ut *Magistrum affectuosissime dil[ig]atis, qui uobis propinat scientie pocula salutaris*.

Quot modis fiat cursus trium sillabarum.

Cursus trium sillabarum fieri potest dupliciter, aut per dictionem trisillabarum simpliciter, ut *Odimus malignos*, aut per bisillabam et monosillabam precedentem, ut *Loquimur de Deo*. Est etiam hic cursus trium sillabarum, *Petrus bonus est dominus*.

Quot modis fiat cursus quatuor sillabarum.

Cursus quatuor sillabarum potest fieri quadrupliciter. Primo per tetrasillabam dictionem simpliciter, ut *Abhor(re)amus pec(c)amina quae nos ducunt ad tartara tenebrosa*. Secundo per duas bisillabas, ut *Ueneremur Dominum Deum nostrum*. Tertio per trisillabam et monosillabam precedentem, ut *Etas disputabitur a magistro*. Sit etiam secundum quosdam per mo(no)s[s]illabam subsequentem, ut *Magister nobis benignus est*. Quarto per bisillabam et duas monosillabas antecedentes, ut *A magistro discite qui est prudens*.

Notabilia circa cursum trium et quatuor sillabarum.

In cursu trium sillabarum cuius penultima grauatur, et in cursu iijor

sillabarum cuius penultima acuitur, oportet dictionem esse trisillabam uel deinceps uel simpliciter uel per equipol(l)entiam, cum ipsius precedentis penultimam necessarium sit grauari. In alijs uero cursibus precedens dictio bis[s]il(l)aba potest esse.

Que sunt attendenda in cursu trium uel quatuor sillabarum.

In cursu trium sillabarum uel in cursu iijor sillabarum, quando penultima finalis dictionis grauatur, utendum est in subdistinctionibus et distinctionibus non nimis longis. Cursu uero quatuor sillabarum, quando penultima finalis acuitur, utendum est in fine longarum distinctionum et clausularum;[Page 384]

verbi gratia, *Doctor illos scolares erudire pre alijs nititur qui pacifice in scolis morantes pro uiribus intendunt gymnasijs discipline eidem de labore dignis premijs et gratuitis exenijs respondentes.*

Quomodo deceptio fit in cursu.

Deceptio fit in cursu causa inepte dictionum prolationis, ut *Illius ciuitatis totius ornamenti studuit in hac hyeme, cuidam seruiuiumus, alicui seruiamus*, sed cursus est *cuidam seruiamus*; causa diptongi, ut in omni genere causarum; causa studiorum: *Volo dominum audire, Teseus ueneratur*, in hijs inducitur *F(r)aus et laus*, sed cursus est *Theseus est amandus*, simil[iter] non simul moratur *Fraus et laus*.

Quibus distinctionibus utendum sit in epistola et qualiter.

Post hanc coniunctionem adiunctiuam cum non debet poni igitur uel idcirco, unde hoc est uitium: *Cum de uobis geram fiduciam et spem plenam, idcirco uel igitur uos deprecor quantum possum*. Sed post *quia* uel *quin* sequi *idcirco* potest.

Parti(c)ipia si sese com[m]itantur egent coniunctione, quomodo et adiectiua nomina quorum naturam im[m]itantur, unde sicut incongrue dicitur *Petrus albus niger currit*, sic *Legens disputans mit(t)o tibi*. Sed si unum precedat uerbum aliud sequatur possunt iungi sine coniunctione, unde *Studens bonis mit(t)o tibi deprecans*, sicut *Petrus humilis incedit superbus*. Similiter si diuersi modi respiciunt substantiuum ita quod unum per aliud comparetur ad ipsum, ut *Tuis fuimus hucusque desiderijs obsecuti mit(t)entes necessaria*. Participium potest euocari a pronomine subintellecto sicut hic relatiuum quod et hic pronomen ipse, ut *Rogo quod seruiatis mihi, Scientes quod sine uobis esse non possum*.

In epistola non debet poni uocatiuus prime uel seconde persone nisi causa alicuius discretionis, prolem(p)scitice constructionis, conceptionis, zeu(g)matidis uel euocationis.

Item si duo uerba et participium diuersarum constructionum ponantur in alia oratione, et ponatur alia terminatio, debet poni secundum exigentiam proximioris uerbi uel participij, ut *Mit(t)o uobis deprecans et consulens rogo uos*. Item licet congrue dicatur *Misi ad uos nuntium meum deprecans quod ei seruitium conferatis*, quia participium cuiuslibet temporis uerbo cuiuslibet temporis potest iungi, teste Prisciano, ut *lecturus disputaui et legens disputabo*, tamen quia uitatur sensus in epistola, non est talis constructio adhibenda. Item si necesse est ponere huius(modi) dictiones, sic ordinande sunt: dictus, predictus, subdictus, antedictus, prefatus, pretaxatus, prenomminatus.

Item, cum dicitur *tertio kalendas Februarias* intelligitur *ante*. Sed si uolo dicere *post kalendas*, at(t)endenda est prepositio *post*, ut *tercio post kalendas*[Page 385]

Septembris, et hoc ex usu non ex ui dictionum, et intelligitur quod li *kalendas* primam diem mensis significet, sed cum dicitur *tercio kalendarum* intelligitur de tertia die mensis.

Incongrue dicitur *quidam homo Petrus* per naturam partitiui, sicut *omnis homo Petrus* propter naturam distributiui. Sed dicendum est *quidam homo nomine Petrus*. Simil[iter] *Misi ad uos quemdam nuntium Petrum*. Sed dicendum est *nomine Petrum* uel *Petro*. Sed congrue dicitur *Misi ad uos nuntium meum Petrum*. Posset etiam ibi addi *nomine*. Item si proprium uel appellatiuum concidant in eandem uocem addendus est ablatiuus *nomine*, ut ambiguitas (a)moueatur, ut *Misi ad uos nuntium meum nomine Benedictum*. Nam si diceretur *nuntium meum Benedictum* posset intelligi li *Benedictum* esse appellatiuum.

De formatione quarundam lit(t)erarum in epistolis more curie Romane. Attende qui cor(r)igis quod he lit(t)ere *B, F, H, K, L, P, Q, S* sic debent formari superius capitibus et inferius caudis deductis, nisi ponantur in principio clausularum uel nominum propriorum hominum uel locorum uel aliquarum terrarum: ibi solemniter formari debent. *S* uero, cum est finalis dictionis, semper debet retorta scribi sic: *s*. Item, hec litera *D* semper debet scribi sic: *?*, nisi ponatur in principio clausule uel propriorum nominum cuiuslibet rei, ubi debet formari solempniter sicut et quelibet alia lit(t)era. Quadrata uero in epistola numquam debet scribi sic: *d*. Item, hec litera *I* semper debet scribi ut *iacet*, nisi concurrat cum alia *I* uel cum *M* et *N* in fine dictionis ubi debet sic protrahi: *j*, ut *julii, palmj, dominj*. Item, he[e] lit(t)ere *M* et *N*, cum in fine dictionum ponuntur ultimus pes inferius

trahitur, sic ? ?. Alie partes debent habere pedes. Alie lit(t)ere sunt scribende ut scribi consueuerant. Item, prima lit(t)era exordij uel nar(r)ationis uel petitionis que immediate sequitur post salutationem solempnius debet formaci quam lit(t)ere que sequuntur, etiam in principio clausularum. Item, non debet fieri paragraphum in aliqua parte epistole, quamquam sepe sententia comit[t]etur. De abreuiationibua quarundam dictionum. Preterea *pide3, ide3, ij, kal', iij. non'* sic debent scribi et non sic *pridie, idu9, kal' undecimo, iijjo nonas* et sic de consimil[li]bus. Preterea sic solet scribi *q9, qatjº, qat9* et non debet scribi p(er) e, prout est coniunctio adiunctiua, sed per *i: qati9*, nam *qaten9* et *eaten9*, penultima producitur, aduerbia sunt quantitatis, et debet poni *qti9* secundum quosdam cum aliquid petitur, ut uel quidem cum aliquid suadetur uel dis(s)uadetur. Preterea nomina patria desinentia in *?s* sic debent scribi: *Pgamen, Bonon*. Item, huiusmodi[Page 386]

dictiones sic debent scribi in epistola: *sps, salt', bon, dat9*. Sed si possibile est ars in omnibus est scienda, usus tamen in singulis emulandus. Item in nulla dictione posita in epistola debet poni lit(t)era supra lit(t)eram faciendo sic: *so, mi, ti, si, ni, li, sa, da, oo, qo do, dio', nn, ubm, ptim, pnn, do, uo, fim, r9, ro, ri, x, xi, xo, xm, tm, qm*, et sic de consimilibus. Preterea in ulla dictione posita in epistola debent supponi duo titul[li] causa ab(b)reuiationis, sic: *dnatoe3*. Sed sic posset scribi *ponut, ppnut*. Epistola enim lit(t)eram requirit legibil[li]em, ne lector in legendo impediatur, verborum leuitatem et lucidam breuitatem, ne ob difficultatem et prolixitatem auditoris animus confundatur. Sit ergo talis ut, quam cito sit lecta, sit pariter intellecta. Explicit *Breuis doctrina contra facultatem dictaminis* a magistro Uentura de Pergamo compil[loq]ata. Deo gratias. Amen et cetera.[Page 371]

est, et etiam si scribit infimis personis non sibi subditis. Si uero scribat paulo minoribus non subditis sibi tunc eius nomen preponendum est. In salutatione si ec(c)lesiastice persone et seculares inuicem sibi scribant facienda est collatio personarum et que maior fuerit preponenda. Ap[p]ostolicus omnibus preponitur, et similiter imperator nisi scribat ap[p]ostolico. Considerandum est uita illarum, que presit alteri, quia sic ordinandum est quippe nomen ratione temporalium beneficiorum. Bene debet quandoque persona ec(c)lesiastica honorem pretendere seculari, cum legatur Dominus censum Cesari tribuisse. In salutatione nomen maioris scribentis sex modis nomini recipientis postponitur. Primo modo causa humilitatis, ut si aliquis episcopus scriberet alicui magno abati. Secundo cum maior non habet super eum aliquam dominationem, ut si archiepiscopus Mediolanensis scriberet episcopo Fauentino. Tertio quando ille qui scribit uno respectu est maior alio respectu est minor, ut si aliquis archidiaconus ordine solo maior, scriberet alicui clerico qui eum antecederet scientia, uirtute, diuitijs et nobilitate. Quarto modo causa familiaris amicitie et cuiusdam blandimenti, ut cum magistri scribunt scholaribus suis quos etiam socios appellant. Quinto modo propter pec[c]unie affluentiam que nostro tempore ut magestas sanctissima ueneratur. Ualuasores, capitani et etiam comites quandoque preponunt nomina suis nominibus mercatorum. Sexto modo causa consortij et hec est necessitas, ut si filius scribat patri et seruo nomen secundum preponet, scilicet: *A Patri et domino plurimum reuerendo et B. dil[li]ecto et fideli seruo P. suus cum debita affectione salutem*. Simil[li]ter si episcopus scriberet episcopo et capellano. Simil[li]ter preterea prouidus dictator debet consuetudinem imitari, et plerumque arbitrum scribentium personarum. In salutatione si scribitur saracenis uel paganis id[d]em seruandum est quod christianis. Si uero scribitur, hereticis, excommunicandis et capitalibus inimicis, quantumcumque sint magni et fungantur dignitatibus, ipsorum sunt nomina postponenda. In salutatione nomina personarum uel utrumque uel alterum pluralibus de casibus quandoque tacentur. Primo cum ignoratur nomen recipientis persone, et tunc duo puncta inter ea dimisso spacio scribi debent sic: (..). Consimiliter scribitur fungentibus ec(c)lesiastica dignitate cum eis a maiori uices alique com(m)it(t)untur, et hoc quia scribitur fungenti dignitate et non huic siue illi uel Petro uel Martino. Secundo modo ob timorem ne epistola inimicorum ad manus perueniat. Tertio modo quando mit(t)ens uult se oc(c)ultare recipienti. Quarto modo propter patentem notitiam uel per scripturam uel per ea que in epistola subsequuntur, unde sic posset scribi: *amicus amico quidquid sibi*. In salutatione nomen mittentis cum suis ad(iunct)is .debet (m) poni in nominatiuo, nomen uero recipientis in datiuo cum suis, et exiguntur a uerbo subintellecto *mit(t)it*. Nichilominus tamen subintelliguntur ista uerba *mit(t)it, mandat, gliscit, optat* et hijs simil[li]ia. In salutatione non debet

